


Georg Mejer Petrus Lievenbergius


## **Disputatio VI. Collegii Metaphysici : De Entis Affectionibus In Genere**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729120783>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gfl.

35 1717





DISPUTATIO VI.  
COLLEGI METAPHYSICI  
DE  
ENTIS AFFE-  
CTIONIBUS IN GENERE.

Quam  
AUSPICE CHRISTO  
*In alma Rosarum Academia*  
PRÆSIDE  
M. GEORGIO MEIERO  
Duderstad. Sax.  
*Defendendam suscipiet*

PETRUS LIEVENBERGIUS  
Kyritzensis Marchiacus.

*Ad diem 19. Septemb. horis matutinis.*

---

ROSTOCHII  
Ex Typographia Stephani Myliandri  
Anno cl<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> CX.

ΑΜΠΛΙΣΣΙΜΟΙΣ ΠΡΟΒΟΥΝΤΙΣ

AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS virtutum, eruditionis, & auctoritatis splendore praestantissimis viris,

DN. PANTHALEONI TRAPPENIO,  
DN. IOACHIMO Schönermaren  
Kyritzensis Republicæ Consulibus  
meritissimis:

Cæterisq; Dn. Senatoribus omnibus & singulis eisdem Reip. dignissimis.

VT ET

Reverendis, doctrina, virtute, & vera pietatis zelo praestantissimis viris,

DN. IACOBO ADAMI Præconi  
verbi divini in Kadenschlebe.  
DN. IOACHIMO STEGEMANNO,  
Pastori in Dectow.

Dominis Patronis & promotoribus meis perpetuo observantix cultu suspiciendis.

Hanc *Ἀποδειξιὴν* Metaphysicam in debita observantia & ὁσιότητι, in grata mentis *ἡλικίᾳ* humillimè offero & consecro.

Petrus Lievenbergius  
Resp. March.



# DE AFFECTIIONIBUS EN- TIS IN GENERE.

## Theorema I.

Dantur Entis affectiones.



*Um tria sint, quae ad consiciendam demonstra-  
tionem requiruntur, subjectum videlicet, prin-  
cipia & affectiones, tribus etiam hisce omnis  
constabit scientia. De subjecto vero, ut &  
principijs quia haectenus in scientia Metaphy-  
sica actum fuit, ad affectiones, quarum conside-  
ratio omnium est copiosissima, nobis convertendum erit.*

II. Affectiones vero in Metaphysica dari, quae Entis natu-  
ram consequuntur, haud operosa indiget probatione. Scientia  
enim nulla est sine affectionib. cum haec illius pars sint essentialis, ut  
Philosophus docet lib. 1. analyt. post. cap. 1. Sunt enim affectio-  
nes sive τὰ πρῶτα id, quod in scientia de subjecto per principia  
demonstratur, ut ibidem docet Philosophus, ideoz, sine affectioni-  
bus scientia nulla, demonstratio nulla. Ac ne quis excipiat, Phi-  
losophum loqui de scientijs inferioribus, non vero suprema illa Me-  
taphysica, audiamus ipsum Philosophum expresse de affectionibus  
Entis verba facientem. Sic inquit lib. 4. Metaphys. cap. 1. Ἔστιν  
ἡ πρώτη πρῶτη, ἢ πρώτη τὸ ὄν ἢ ὄν, καὶ τὰ ἕξτερον ἀρχόντα καὶ  
αὐτὰ. Et c. 2. ὡστερ δὲ καὶ ἀριθμῶν ἢ ἀριθμῶν ἴδια πρῶτη,  
ἀπειροσότης, δευσιότης, συμμετρία ἰσότης, ἐκσερχὴ ἔδδερψις, καὶ  
μῦθος καὶ καθ' ἑαυτὰς, καὶ πρὸς ἀλλήλας ἀρχαὶ τῶν ἀριθ-  
μοῖς.



μοῖς ὁμοίως δὲ καὶ τρεῖς καὶ ἀκινήτω καὶ κινεῖσθαι, ἀβασίλει  
τε καὶ βασιλεῖ ἔχοντι, ἐστὶν ἕνα ἴδια ἕνωσις καὶ τῶ ὄντι ἢ ὄν, ἐστὶ  
τὴν αἰδέσθαι. Habere itaq; Ens affectiones manifestum est.

III. *Mauult quidem Timplerus ea, quae à Philosopho affectiones seu πάθη appellantur, attributa Entium nominare lib. I. Metaph. c. 4. q. 2. Idq; potissimum propter Deum, in quem proprie non cadunt passionēs seu affectiones: in quo quidem ipsum non magnoperè reprehendimus. Sed videtur in. vox attributorū eandem habere incommoditatem, quam vox affectionū: Quicquid enim alicui attribuitur, aliud & diversum est ab eo, cui attribuitur. In Deo autem nihil datur diversum ab ipso Deo. Ideoq; non minus attributa, quam affectiones secundum nostrum concipiendi modum in Deum cadunt. Si enim nos Deum in simplici sua essentia, prout est apprehendere possemus, nulla neq; attributa neq; affectiones ei tribueremus.*

### Theorema II.

Affectiones Entis ab ipso Ente neq; realiter, neque nuda ratione differunt.

*Sufficienter Philosophus lib 4. Metaphys. c. 2. probat, Ens ab affectionib. suis realiter nō differre. Contra hanc ipsius sententiam ab alijs obijcitur: quod Ens & affectio differant, tanquam subjectum, & accidens eidem inherens. Verūm respondetur, affectionem, cum non sit accidens, non posse ab Ente differre, tanquam accidens à suo subjecto. Quod autem accidentia non sint affectiones Entis, probatum est facillimum, quia in nulla sunt categoria, limites enim categoriarum transcendunt, unde etiam termini transcendentis appellantur. Omne autem accidens in certa quadam est categoria. Non negamus quidem affectiones ad naturam accidentium quam proximè accedere, sed esse accidentia proprie sic dicta pernegamus. Et hinc patet etiam quid respon-*

Spondendum sit ad simile illud, quod adducunt à ratione & risi-  
bilitate sumptum. Inquiunt enim quemadmodum risibilitas rea-  
liter differt à ratione, licet ab ea nunquam separari possit: sic  
quoque affectiones Entis ab ipso Ente, licet à se invicem nunquam  
divellantur. Nam utrobique dispar est ratio: risibilitas siquidem  
est accidens proprium hominis: Affectiones vero Entis acciden-  
tia proprie loquendo non sunt. Similiter risibilitas est in pradic-  
mento qualitatis: ratio vero substantia. Affectiones vero Entis  
ad aliam categoriam non referuntur, quam Entia, quorum sunt  
affectiones. Non simpliciter tamen affectiones idem esse, quod Ens  
dicis. Benè est. Discrimen urges. Virgemus & nos quoddam. Dif-  
ferre ut rem & modum rei dicis. Dicimus & nos. Ergo discrimen  
modale. Quis negat? Modale autem discrimen non est reale  
proprie. Retineas ergo mentem, & linguam corrigas. Nam non  
realiter differunt Ens & affectiones, quia non differunt ut res &  
res: neque etiam nuda simpliciter ratione, quia affectiones ab intel-  
lectu nostro seu ratione in Ente distincta non finguntur, sed re-  
vera ab Ente promanant, illudque insequuntur. Quia a, diffe-  
runt ut res & modus rei, modaliter differunt.

### Theorema III.

Affectiones Entis Enti neque novum Ens,  
neque nudum rationis respectum, sed modum  
quendam positivum superaddunt.

I. Fluit theorema hoc ex precedenti. Quia enim Ens &  
affectiones ejus realiter non differunt, non possunt etiam Enti aliud  
Ens superaddere. Si enim superadderent, haberet illud Ens su-  
peradditum itidem suas affectiones, qua superadditio Enti rursus  
aliud Ens superadderent, & sic daretur progressus in infinitum.

II. Neque tamen Thomæ sententia, quam plerique Meta-  
physi-

physicorum amplectuntur, simpliciter subscribere possumus. Is enim Enti nullas affectiones reales aut positivas concedit, sed simpliciter aserit, ea, qua attribuuntur Enti tanquam affectiones, addere ipsi Enti solum negationem quandam, vel rationis respectum. Si enim affectiones sunt aliquid, ut verba sunt (voce alicujus in lata significatione accepta) non possunt simplicem negationem, vel nudum rationis respectum Enti superaddere. Sed inquis: Sunt affectiones quidem aliquid, sed non distinctum ab Ente. Bene est. Ergo affectiones in se considerata nihil sunt? Sic colligimus: Aut sunt affectiones in se considerata aliquid, aut nihil. Si aliquid, utiq; etiam aliquid Enti superaddunt. Si nihil, sequitur hoc absurdum, quod Metaphysica scientiarum omnium nobilissima tertio scientia requisito sit spoliata. Ad quamcunq; enim scientiam constituendam tria necessario requiruntur, subjectum, principia & affectiones. Praterea si prorsus quoad rem nullum discrimen est inter Ens & affectiones ejus, erit affectio subjectum, & subjectum affectio, quod pugnat cum omni ratione. Id enim quod demonstratur de aliquo, non est ipsum de quo demonstratur, alias enim idem de se ipso demonstraretur.

III. Media itaq; ingredimur via, statuentes, neq; novum Ens sive essentiam, neq; etiam nudam negationem sive rationis respectum affectiones Enti tribuere: sed modum quandam positivum. Id enim quod sunt affectiones, Enti superaddunt: Sunt autem modi positivi, nisi asserere velis, Entis positivi non dari affectiones positivas, contra axioma illud verissimum: Quale est subjectum, tales etiam sunt affectiones subjecti. Modus autem iste superadditus, quia est aliquid, etiam Ens dici potest, sed non nisi in latissima significatione, sumi autem Ens bisariam, etiam superius disp. 3. diximus, strictè nimirum & late. Strictè pro solo subjecto Metaphysices: late pro omni eo, quod est extra nihil, quo sensu etiam affectiones & principia Entis, Entia appellari possunt, ideoq; progressus in infinitum hic metuendus non est. Non enim Ens in latissima

*issima significatione acceptū adhuc alias habet affectiones positivās: sed tantum in strictā, quatenus est subjectum Metaphysices.*

#### Theorema IV.

Affectiones Entis sunt duplices: quædam unitæ dicuntur sive simplices: quædam disjunctæ sive complexæ.

*Illæ sunt quæ seorsim accepta ob summam suam quam habent latitudinem omni Enti attribuuntur: Rectè enim dico: Omne Ens est unum; est verum; est bonum: Hæ vero non tantam habent latitudinem, ut simpliciter omni Enti tribui possint: sed per particulam disjunctivam de Ente enunciantur, hunc in modum: Omne Ens est vel causa, vel causatum: necessariū vel contingens.*

#### Theorema V.

Affectiones Entis unitæ sive simplices sunt tres: Vnum, verum, bonum.

I. *Templeri sententiam utpote absurdam, quæ sine omni ratione unum, verum, bonum ad affectiones disjunctas refert, hic intactam relinquimus, id saltem ostensuri, quod non plures quam tres dentur affectiones Entis simplices.*

II. *Res & aliquid aliū quidem adiiciunt. Sed quia res & aliquid vocabula merè sunt synonyma, unum idemq; simpliciter cum Ente significantia, non secus ac ensis & gladius unam eandem rem denotant, non possunt Entis esse affectiones. Hinc accedit, quod res & aliquid, neq; quoad rem, neq; quoad rationem, neq; ullo alio modo quiddam ab Ente distinctum Enti superaddant. Affectiones vero quia omnes modum quendam positivum Enti superaddunt, & sic aliquo modo ab Ente distinguuntur, non possunt ijs res & aliquid annumerari.*

*Sed*

III. Sed hic iterum novam habet Timplerus, quam fovet sententiam, Ens latius re esse contendes, lib. 1. Meth. c. 3. q. 3. Distinguantur inquit Ens & res tanquam genus & species. Omnis enim res est Ens, sed non omne Ens est res. Nam verba etiam seu voces sunt Entia, neq; tamen sunt res, sed symbola rerum, unde fit, ut propriè per rem solùm Ens rectè intelligatur.

IV. Caterum non uno modo hac ipsius sententia est erronea. Principiò n. verum haud est, Ens & rem distingui tanquam genus & speciem: tam latè enim patet res, quam Ens. Omne siquidem Ens prout illud quidem subjectum Metaphysices constituitur positivum & reale, est res: Et vice versa, omnis res est Ens. Excipis, Timplerum hic Ens considerare non reale, sed Ens prout sub se se comprehendit tam reale quam rationis, cum voces non rei sed rationis vocet Entia. Hoc scimus, sed quo jure? an forsan quod Ens reale & rationis species sint opposita Entis generatim sumpti? Verùm hac ipsius opinio superius disp. 4. explosa est. Sed dabimus hoc in presenti, Ens sumi tam pro Ente reali quam rationis, neq; tamen sic sententia hac consistere potest, cum pari modo etiam res extendi possit, ita ut non tantum Ens reale: verum etiam rationis complectatur. Vnde Armandus de Bello visu tract. 2. de transcend. cap. 14. hanc distinctionem rei tradit. Dicitur (inquit) res secundum Grammaticos à ratus a, um, quare ratum idem est quod firmum. Ideo res dicitur de Entibus quæ sunt Entia realia, sicut lapis. Alio modo dicitur res à reor, reris, & quia reor hoc verbum importat actum intellectus & rationis, ideo etiam res dicuntur de Entibus quæ non habent firmum esse reale, sed solum esse rationis, sicut secundæ intentiones. Et sic patet quod res dicatur de Entibus realibus, prout dicitur à nomine ratus, & de Entibus rationis, prout à verbo reor.


#### COROLLARIA.

- I. An affectiones Entis cum Ente convertantur? A.
- II. An affectiones Entis sint accidentia? N.
- III. An quatuor tantum sint transcendentia? A.


42 25











306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document